

# GEORGII AGRICOLA<sup>i</sup> LAE DE RE METALLICA

LIBER PRIMVS.



ULTI habent hanc opinionem, rem metallicam fortuitum quiddam esse, & sordidum opus, atq; omnino eiusmodi negotiū quod non tam artis indigeat quàm laboris. Sed mihi, cum singulas eius partes animo, & cogitatione percurro, res uidetur longe aliter se habere. Siquidem metallicus sit oportet suæ artis peritissimus, ut primo sciat, qui mons, qui collis, quæue uallestris aut campestris positio utiliter fodi possit, aut reusufet fossionem. Deinde uenæ, fibræ, commissuræq; saxorum ipsi pateant. Mox pernoscat multiplices uariasq; species terrarū, succorum, gemmarum, lapidum, marmorū, saxorum, metallorum, mistorum: tum habeat cognitam omnem omnis operis sub terra faciendi rationem. Nota deniq; ipsi sint artificia materiæ experiendæ, & parandæ ad excoctionem, quæ etiam ipsa est admodum diuersa. Nam aliam exigat aurū & argentū, aliam æs, aliam argentum uiuū, aliam ferrum, aliam plumbū, & in eo ipso dissimilem candidum ac cincreū uel nigrum. Quamuis autem ars succos liquidos coquendi ad spissitudinem esse secreta à metallica possit uideri, tamen quia ijdem succi effodiuntur etiam in terra densati, aut excoquuntur ex quibusdam terrarū lapidūue generibus, quæ metallici effodiunt, & quorum quædam metallis non carent, ab ea separari non debet, quæ excoctio iterū non est simplex, etenim alia est salis, alia nitri, alia aluminis, alia atramenti futurij, alia sulfuris, alia bituminis. Metallicus præterea sit oportet multarum artū & disciplinarum non ignarus: Primo Philosophiæ, ut subterraneorū ortus & causas, naturasq; noscat: Nam ad fodendas uenas faciliore & cōmodiore uia perueniet, & ex effosis uberiores capiet fructus. Secundo Medicinæ, ut fossoribus & alijs operarijs prouidere possit, ne in morbos, quibus præ cæteris urgentur, incidant: aut si inciderint, uel ipse eis curationes adhibere, uel ut medici adhibeant curare. Tertio Astronomiæ, ut cognoscat cœli partes, atq; ex eis uenarū extensiones iudicet. Quarto Mensurarū disciplinæ, ut et metiri queat, quàm alte fodiendus sit puteus, ut pertineat ad cuniculū usq; qui eò agitur, & certos cuiq; fodinæ, præsertim in profundo, cōstituere fines terminosq;. Tum numerorū disciplinæ sit intelligens, ut sumptus, qui in machinas & fossiones habendi sunt, ad calculos reuocare possit. Deinde Architecturæ, ut diuersas machinas substructionesq; ipse fabricari, uel magis fabricandi rationem alijs explicare queat. Postea Picturæ, ut machinarū exempla deformare possit. Postremo Iuris, maxime metallici sit peritus, ut & alteri nihil surripiat, & sibi petat non iniquū, munusq; alijs de iure respondendi sustineat. Itaq; necesse est ut is, cui placent certæ rationes &